

peregrinatio in Terram Sanctam; quæ facta fuit impossibilis, hoc est difficilis, præstatione expensarum redimitur. *L. 5. tit. 8. p. 1. Sancb. in Decal. lib. 4. cap. 2. n. 25.* Si impedimentum superveniens temporale sit, non extinguitur, sed tantum suspenditur voti obligatio: & quidem sola auctoritate ipsius votentis differri valet voti adimpletio, si impedimentum certum sit: quando verò est dubium, cum nullus sua debeat Interpretari vota, debet Superioris auctoritas accedere. Quando votum est conditionale, cum intentio votentis, ac proinde tota obligatio voti ab eventu conditionis dependeat, si conditio deficit, deficit votum. *L. 7. tit. 8. p. 1.* Si multiplex conditio copulativè adjecta sit voto, omnes implendæ sunt, ut votum obliget: quia ad veritatem propositionis copulativæ hoc requiritur. Secus ex contraria ratione, si disjunctivè conditiones apponantur; nam per quamlibet verificatur votum. *Sancb. in Decal. lib. 4. cap. 23. num. 20.* Votum cessare, etiam quando per malitiam votentis, conditionis impeditur eventus, cum certè non verificetur votum, tenent contra alios. *Suar. de Voto, lib. 4. cap. 17. num. 20. & alii. 5.* Cessante causa finali, quæ ad votendum movit, cum pro eo casu intentio votendi deficere credatur, cessat, & votum; *arg. cap. 60. de Appellat.* Sic, qui pro filii salute elemosinam vovit, filio mortuo non tenetur eam præstare, vel qui vovit non ingredi certam domum; quia ibi peccandi aderat periculum, hoc cessante, cessat, & obligatio; *arg. L. 7. tit. 8. p. 1. Suar. de Voto, lib. 4. cap. 18. ex n. 3. Sancb. in Decal. lib. 4. cap. 2. n. 42. & alii. 6.* Votum, cujus obligationi finiendæ certus terminus præfixus est, eo elapso cum jam desit se obligandi intentio, cessat, & obligatio. Nam actus agentium non operantur ultra eorum voluntatem. *L. 19. ff. de Rebus credit.* Si tamen terminus est præfixus ad ejus executionem, etiam termino elapso, manet obligatio: quia adhuc potest impleri. Et sic votens duas contrahit obligationes, alteram, qua tenetur rem præstare, alteram, qua non differre tenetur, & licet hæc per temporis lapsum facta sit impossibilis, non tamen prima. In dubio autem ex circumstantiis cognoscitur: an terminus ad executionem faciendam, vel ad finiendam obligationem adjectus sit.

TIT. XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

Status in præsentem non latè pro quacumque vitæ conditione, sedit strictè pro conditione vitæ stabili & perpetua sumitur. Et sic in Ecclesia tres sunt status, Conjugatorum scilicet, Clericorum, & Religiosorum. Et de hoc quidem in præsentem: nam de aliis alibi agitur. Religiosis ergo statum constituunt tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ; quæ propterea ad Religiosum statum substantialia habentur. Agitur ergo in præsentem de Religiosis, sive Regularibus, sive Monachi vocentur. Si enim in Monasteriis habitent *Synodice*, seu *Cenobita* appellantur: si soli in Eremito degant *Heremita*, & *Anachoreta* dicuntur, & nomine generali *Monachi*, id est, *solitarii*, appellantur. Eorum Superiores *Abbat*, quasi *Patres*, generalitèr vocabantur: specialius autem nuncupabantur *Archimandrite* Superiores Monachorum, qui in speluncis, & cavernis delitebant. Et jam nomine generali omnes, qui Religionem profitentur *Religiosi*; & quia regulam sequuntur *Regulares* nuncupantur. Etiam hic agitur de Canonicis Regularibus, nam cum tria vota Religionis emittant, verè Religiosi sunt, *cap. 4. h. tit. L. 1. tit. 7. p. 1. ibi: E estos atalos ion dichos Religiosos, que quiere tanto decir, como homes ligados, que se meten so obediencia de su Mayoral: asi como Monges, ó Calonges de Claustros, á que llaman Reglares, ó de otra Orden, qualquier que sea.* Et quidem olim omnes ferè Clerici erant Canonici Regulares, *cap. 7. cap. 8. cap. 9. 12. q. 1. l. 1. tit. 7. p. 1. Gonz. in cap. 5. h. t. num. 2.* Qui verò non emittunt tria vota substantialia Religionis non sunt verè Religiosi, ac proinde sub præsentem titulo non comprehenduntur: Tales sunt aliorum Ordinum Militarium professi, quales sunt equites Divi Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ in Hispania. Status igitur Religiosus est status, in quo Religiosus debet tendere ad perfectionem, licet non requiratur, quod actu sit perfectus: tenetur tamen tendere ad perfectionem per mediâ essentialia: & Religiosis: hoc est observando vota, & regulas: quod si ex contemptu violet regulas, etiam non gravitèr obligantes, eas habendo, ut frivolas, vel nolendo se Superio-

riori subdicere; vel si ex violatione grave sequeretur detrimentum Religionem, gravitèr proculdubio peccare. Si omnia monita, & regulas negligat, eo quod sub mortali non obligent, multoque magis si directè nolit perfectionem, gravitèr peccat. Siquis non tantum intendat non esse sollicitus in regulis servandis, sed etiam nunquam servare, & si facile possit, cum hoc vix possit stare sine formali contemptu, peccatum grave est. Si verò ex remissione animi, & negligentia sine aliquo titulo justo velit per directam intentionem non servare aliquam regulam, saltem erit peccatum veniale, quia esset venialis contemptus. Si tamen Religiosus habeat animum nullam regulam servandi, dummodò paratus sit ad poenam sustinendam transgressoribus impositam, cum se submitat regulæ ut lata est (nam hoc supponimus) id est, subeundo poenam, si transgrediat, non peccat gravitèr: quia in objecto illius actus non est materia contraria illi voto, vel præcepto: quamvis in his alii strictius discurrant. *Lacroix lib. 4. ex n. 57. Suar. de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 4. Sancb. in Decal. lib. 6. c. 5. Elizald. in doct. Moral. lib. 8. q. 14. & alii omninò videntur.* Scholasticus Societatis peccat gravitèr, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos prævidet, se dimittendum. Superior sub gravi tenetur in vigilare ne corruat observantia Religiosa. *Suar. Salmant. Sancb. Pelliz. Lugo de Just. 39. an. 21. & alii com. **

421 Nunc explicandum venit, quænam obligatio vi votorum Religionis insurgat. Et quidem ex voto paupertatis quilibet Religiosus se abdicat in perpetuum dominio bonorum templarium, quæ fortunatè dicuntur, ut constat ex famigerato, & capitali in hac materia, *Text. in C. Non dicatis, II. 12. q. 1. ibi: Non dicatis aliquid propriam, sed sint vobis omnia communia. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malam, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro constetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehendatur, atque convincitur, secundum arbitrium Presbyteri, vel Prepositi gravius emendetur. Cum hujus nostre Congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa Ordinatione susceptione renuntiaverint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperiis in Christo, & pro Christo subdidierint; certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere, sine Superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam ali-*

quid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandaverit: de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit. *c. 2. c. 4. c. 6. h. t. L. 2. l. 14. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. in corp. ibi: Inde est, quod ad perfectionem charitatis adquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, dicente Domino Matth. 19. Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & sequere me. Postest tamen Religiosus retinere bona spiritalia, & eis annexa, ut beneficia, jus eligendi, vel conferendi. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 4. n. 25.* Etiam retinet Religiosus honorem, & famam, potest tamen ex humilitate aliquomodo eis renuntiare v. g. vovendo non acceptare dignitates, & contentum se ostendendo ut ejus defectus, etiam sine prævia monitione, nec correctione fraternâ ad Superiorem deferantur à quocumque, qui eorum notitiam extra confessionem habeat. Non est de essentia paupertatis religiosæ abdicare se dominio radicali, sed tantum ejus usu. Sic Scholastici, & Coadjutores non formati nostræ Societatis, cum verè Religiosi sint, dominium suarum rerum possunt retinere, non tamen eo possunt uti absque Superioris consensu: quod quidem sufficit, ut verè paupertatis Religiosæ voto ligati credantur. Cæteri verò Religiosi in particulari se abdicant domino rerum suarum. Hinc dispositio Religiosi absque Superioris licentia de bonis, quæ habeat, ut de re aliena, siquidem illorum dominio se per paupertatem abdicavit, erit absurdum invalida: Et ob contrariam rationem dispositio Scholastici Societatis, quamvis illicita, & revocabilis à Superiore, utpotè contra votum paupertatis facta, valida tamen erit ob dominium radicale, quod talis Religiosus retinet. *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 10. lib. 4. c. 6. ex n. 12. Sancb. in Decal. lib. 7. cap. 8. n. 25. & cap. 18. n. 28. & alii contra Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 4. n. 28. Molin. de Just. tr. 2. D. 139. & alior. Religio in communi potest bona, etiam immobilia, possidere, nisi fratres Minores de Observantia, & Capucini, qui neque mobilia possidere possunt. Domus Professa Societatis non possunt immobilia, præter habitationem, & hortum: mobilia tamen possidere possunt.**

322 Peculium, in quo Religiosus dominium haberet independens à Superioris arbitrio, clare pugnat cum voto paupertatis; secus peculium, quod tantum Religioso administrationem tribuit, depen-

dentem quidem à superiore. c. 2. h. t. sed *Trid. 25. de Regular. cap. 2.* in hac parte derogavit Juri antiquo, ut contra *Saneb. lib. 7. cap. 22. n. 11. Navar. Barbos. & alios tenent Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 14. n. 8. Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 30. & alii.* Consuetudine tamen valde temperatum est Tridentino, cum Religiosis aliqua moderata pecunia ad usus necessarios, & honestos à Superioribus permittantur. Similiter permittuntur annuæ pensiones vitalitæ, quæ Religiosis assignantur ita tamen ut hoc de licentia superioris fiat, & redditus tradantur superiori, ut per 66, vel alios administraret. Et quavis deceat, quod præstentur illis, pro quibus tales pensiones constitutæ sunt, ipsi tamen nullum jus, tamquam proprium præterdere debent: sed possunt Superiores in alios usus expendere *Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 31.* Si tamen hujusmodi vitalitium ab ipso Religioso, pro quo fundatum est, administraretur, etiamsi revocabilitèr, & ad usus honestos concessum sit, censetur revocatum per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Ut ergo Religiosus de aliqua re, sine paupertatis violatione, disponere valeat, requiritur Superioris licentia, & quidem talis, quam Superior concedere possit, scilicet, juxta præscriptum Sacrorum Canonum, & Religionis Constitutiones. Superior quippè, quia non Dominus, sed tantum est dispensator bonorum Religionis, non potest concedere licentiam, nec sibi ipsi accipere, ad expendendam pecuniam in usus turpes, vanos, vel superfluos. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 41. n. 78.* Præterea licentia Superioris debet esse libera à metu, coactione, dolo, & fraude, & licet sit necessarium exprimere ea, quibus expressis, non concederetur licentia, non requiritur ea exprimere, quibus expressis licentia, quamvis difficilior, concederetur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 14. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 16.* Sufficit tamen aliquando tacita Superioris licentia, si v. g. hic alicui subdito concedatur licentiam, ut accipiat aliquas imagines, rosaria, numismata benedicta, vel alia hujusmodi, quibus subditus non indiget, & ipsi dantur, ut distribuantur inter fideles. Nam tunc creditur, Superiorem licentiam aliis donandi, subdito concedere. Vel quando subditus aliqua re temporali utitur consensu Superiore, & non contradicente, secus si ex verecundia Superior taceat. Idem est, quando quis iter agit: nam tunc potest aliquas moderatas

elemosynas, vel modicas donationes amicis facere. Vel si necessitas urgeat ad aliquid accipiendum, vel expendendum, & Superior nequit adiri potest enim subditus illud accipere, sed postea debet Superiorem adire, ut tutò retinere valeat. Sed si res jam sit consumpta, adire Superiorem non est opus *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 3.* In hoc enim casu ex benigna interpretatione sufficit præsumpta Superioris licentia: imò, & sufficit etiam casu, quo possit absolute Superior adiri, pudor tamen, vel aliquis respectus humanus, vel alia difficultas obest, quominus adeatur; *arg. L. 46. §. 7. ff. de Furtis*, dummodo probabilitèr saltem præsumatur, Superiorem non esse absolute invitum. Secus est, si ipse, licet facile licentiam concederet, si peteretur, vult, ut actu petatur. *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 1. ex n. 4. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 19. ex n. 4. Less. de Just. lib. 2. cap. 41. n. 79.* non tamen sufficit, ut licentia censetur concessa, quod eam Superior deberet concedere, & eam irrationabiliter neget, cum eam alii Superiores semper concesserint: sicut non absolvitur voto castitatis ille, cui imprudenter negatur dispensatio. Tunc etenim nomine proprio, & sine Superioris licentia, nec dependentia ab eo, talis subditus ageret, ac propterea votum paupertatis violaret. Aliud esset, si ipsum jus, vel natura ipsa subdito usum rei tribuat: v. g. si subdito non ministret Prælati necessaria ad victum, & vestitum, & juxta Ordinis morem: Nam tunc potest absque licentia ad externis accipere, quasi ipsa Religionis constitutione licentiam concedente. *Arg. L. 2. ff. de Jurisdic. vel si Superior neget licentiam ad elemosynam pauperi extreme indigentem elargiendam: nam tunc potest sine Superioris licentia elemosynam, etiam ex ipsis Monasterii bonis, dare, ipsa natura ad hoc licentiam concedente. Talis enim necessitas profectò Lege caret. c. 4. de Regul. jur.*

323 Paupertas religiosa violatur, si subditus sine licentia expressa, vel tacita, vel præsumpta, prout in casu sit necessaria, aliquid, etiam comestibile, quod per usum consumitur, accipiat, assumat, vel retineat nomine proprio: vel si donet, vel alienet etiam res, quas de licentia Superioris possidet, & retinet: nam ex licentia retinendi non illiè infertur alienandi licentia: Imò nec potest subditus res suo usui permissas alteri mutare, nec commodare, cum eas tamquam ususarius,

& prætorio ad nutum Superioris habeat: *arg. §. 1. & 2. Inst. de usu, & habit.* Sed in his rebus, etiamsi alicujus momenti sint, commodantis major conceditur amplitudo: cum non tanti aestimetur commodare, ut materia peccati mortalis facile censetur. *Saneb. in Decal. lib. 7. c. 19. n. 57. & cap. 20. n. 6.* Si Religiosus usurpet rem Monasterii, vel etiam rem sibi concessam in alium usum præter intentionem Superioris convertat, vel eam dolo, vel lata culpa destruat, vel amittat: vel si Superiori rem abscondat, vel ipsum aliquomodo murmuret, vel querelis impediat liberam rei dispositionem: cum hæc omnia sint actus proprietatis, & domini, votum paupertatis violat. *Saneb. in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 60. & 115. Less. de Just. lib. 2. cap. 41. ex n. 78. & alii.* Violatio equidem paupertatis in materia gravi peccatum grave est; leve tamen in materia levi. Et quidem ea quantitas, quæ furtum constitueret grave secundum se, & independentèr ab aliis circumstantiis, est sufficiens ad violandam gravitèr paupertatem, ea verò, quæ illud constituere leve, levitèr violat paupertatem. Si Religiosus sine Superioris licentia rem sibi, cum exclusione Monasterii donatam, accipiat, tantum sacrilegium committet, quia contra votum accipit: non verò committet furtum: quia ipse donans, qui manet Dominus rei donatæ (cum donatio cum tali exclusione sit invalida) non est invitus. Aliud est, si res accepta sit Monasterii, nam tunc præter sacrilegium, etiam furtum committitur. Qui contra paupertatis votum aliquid retinet (secus si jam consumpsisset) privatur voce activa, & passiva per biennium. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Et olim à Monasterio expellabatur. *t. 6. b. t. L. 14. tit. 7. p. 1.* Sed hodie pro qualitate delicti in carcere puniuntur, ne si tales expellantur occasio vagandi eis detur. *c. fin. de Regularib.* quod si proprietatis apud aliquem Religiosum inventa fuerit in morte, pecunia cum tali proprietario in signum perditionis extra Monasterium in sterquilino subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo, se fecisse. *c. 6. b. t. L. 14. tit. 7. p. 1.* Et *Gregor. Lop. ibid. cum Joan. And.* notat, quod non debet sepelli tota pecunia, sed sat erit triginta denarios in signum damnationis sufficere: imò & minor quantitas ad hoc sufficet; quod si post mortem hoc proprietatis peccatum sciatur, debet proprietarius exhumari, si potest sine magno scandalo hoc fieri. Hæc tamen poenæ non incurruntur ante sententiã Judicis. *Saneb.*

in Decal. lib. 7. cap. 20. ex n. 11. Machad. in Sum. lib. 5. p. 2. tr. 1. & alii.

324 Votum castitatis absolutæ, & perpetuæ est etiam substantiale ad Religiosum statum, nec sufficit castitatem conjugalem vovere, qualem plures Ordines Militares vovent: nam tales non strictè, se tantum late sunt Ordines Religiosi. *c. 6. in fin. b. t. ibi: Quia abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. L. 2. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 586. art. 4. in corp. ibi: Ad statum Religionis requiritur subtractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur totalitèr in Dei servitium: usus autem carnalis copulæ retrahit animum, ne totalitèr feratur in Dei servitium: uno modo propter vehementium delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiscentia, ut etiam Philosophus dicit in 3. Ethicor. & inde est, quod usus venererum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc est, quod Augustus dicit in 1. Soliloquiorum: Nihil esse sentio, quod magis ex arce deiciat animum virilem, quam blandimenta femineæ. Alio modo propter sollicitudinem; quam ingerit hominè de gubernatione uxoris, & filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant: unde Apostolus dicit: qui sine uxore est sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est sollicitus est, quæ sunt Mundi, & quomodo placeat uxori. Et ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis, sicut & voluntaria paupertas. Unde sicut damnatus est Vigilantius, qui adequavit divitias paupertati, ita damnatus est Jovinianus, qui adequavit matrimonium virginitati. *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 9. lib. 1. cap. 4. Saneb. in Decal. lib. 4. c. 16. n. 11. & alii comm.* Adeo est annexa castitas Religioso statui, ut nec Pontifex possit facere, quod Religiosus, talis manens, sit voto castitatis solutus. Et hoc: & non amplius probat *Text. in c. 6. b. t. ibi: Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Pontifex possit licentiam indulgere.* Non tamen probat, Pontificem in voto castitatis, etiam solemnem, non posse dispensare, dando licentiam, & facultatem Religioso, ut desinens esse talis, matrimonium contrahat: quod quidem negant *Albert. Mag. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Sylv. Soto, & alii.* posse tamen Pontificem dicto modo dispensare tenent *D. Thom. in 4. D. 28. q. 1. art. 4. q. 1. ad 3.* (unde*

saltem est dubia ejus mens. D. Antonini, Durand. Joan. Andr. Gutier. & plurimi, quos citat, & sequitur Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 7. Et bene quidem: nam cum possit Pontifex absdubio in voto simplici castitatis dispensare, & solemnitas voti oriatu tantum ex Lege Ecclesiastica, qua Papa superior est, & vestigio inferitur, posse in castitate solemniter dispensare. Et sic Innoc. III. dispensavit cum Ramiro Aragonie Rege antea Monacho, Sacerdote, Abbate, & Episcopo, ut posset matrimonium contrahere, & alii cum aliis dispensarunt, de quibus passim Historia. Et sic dispensatus, etiam prole suscepta, non tenetur ad Religionem regredi invita uxore. Hoc enim contra matrimonii substantiam, & indissolubilitatem esset. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 9. nec obligatione Divinum Officium recitandi, nec aliis Religionis oneribus tenetur. Sanch. n. 11. Ad talem vero dispensationem, non utique sufficit quaecumque utilitas privata, sed requiritur publica utilitas, & quidem valde urgens; v. g. Religionis in aliquo Regno propaganda, vel conservanda, vel pacis publicae, vel conservanda Regiae stirpis. Et numquam aliter Pontifices dispensarunt, Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 8. contra Ricard. Si tamen sine justa causa dispensetur: illicita erit dispensatio, valida tamen, & sic dispensatus reddere debitum tenetur, illud tamen petere non valet. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 10. Tunc etenim censetur, Pontificem in solemnitate, qua est Juris Ecclesiastici dispensare; non tamen in voto, quod Juris Naturalis est: ac proinde illud votum solemne in vim simplicis obligat; arg. e. fin. de Despons. impuber. Votum igitur castitatis, obligat ad abstinendum ab omni actu venereo, tam externo, quam interno, etiam ab actu conjugali. Si contra fiat, duplex culpa, altera incontinentiae, altera sacrilegii committitur. Illudque peccatum induet alias species militiae, quibus actus vestitus sit. Non tamen erit necessarium in confessione distinguere, an votum castitatis sit solemne, vel simplex; nam nota solemnitas est quid voto extrinsecum; ac proinde sat erit dicere: violavi votum castitatis etiamsi sit Sacerdos, & Religiosus simul. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 27. ex n. 23. contra alios. Et licet peccatum contra votum castitatis possit aliquando esse veniale ex defectu deliberationis plenae, vel advertentiae, nunquam tamen potest esse veniale ob parvitatem materiae, si defectio sit plena, & advertentia admessa. Oppositam sententiam

ex prohibitione specialis sub praepo- to, censura, & aliis poenis nullus Jesuita docere valet. Laer. lib. 3. p. 1. ex n. 910. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 6. n. 12. & alii com. Arma ad castitatem defendendam ab inimicis undique eam incessanter, hostiliter, & vehementer invadentibus, & impugnantibus, sunt contemplatio Divinorum, mortis cogitatio assidua, oratio frequens, studium, electio scripturarum, exercitium contra otium, vigilia, labor, angustia, occasio vitio, solitudo, abstinentia, & non habet ultimum locum maceratio carnis. Nam castitas a castigando nominatur: hoc enim liliu vix nisi inter spinas invenitur.

325 Tertium votum substantiale Religionis est obedientia. e. 11. 12. q. 1. L. 2. tit. 7. p. 1. per obedientiam namque Religiosus propria se abdicat voluntate, ita ut deinceps nec velle, nec nolle creditur habere e. fin. de Testam. in 6. sed solum velle Superioris sit subditi velle. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 5. in corp. ibi: Status Religionis est quedam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem: quicunque autem instruuntur, vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet, quod directionem alicujus sequantur, secundum cujus arbitrium instruantur, vel exercitentur, ut perveniant ad aliquem finem, quasi Discipuli sub Magistro. Et ideo oportet, quod Religiosi in his, qua pertinent ad Religiosam vitam alicujus instructioni, & imperio subdantur: unde in G. Nequaquam, 7. q. 1. dicitur: Monachorum vita subjectionis habet verbum, & discipulatus: imperio autem, & alterius instructioni subjicitur homo per obedientiam. & ideo obedientiam requiritur ad Religionis perfectionem. Votum igitur obedientiae obligat ad servanda in regulis contenta, graviter, vel leviter juxta tenorem verborum, Legis intentionem, & Ordinis consuetudinem. Imo aliqua regulae ad nullam culpam obligant transgredientes, sed tantum ad poenam pro transgressione impositam. Violans obedientiae votum peccat contra Religionem, & contra justitiam ob ejus Praelato acquisitum expressione. Religiosi etenim vi voti tenentur obedire Praelato immediato, & mediato, ita tamen, ut si contraria praecipiant, mediato, ut Superiori, non immediato, qui inferior est mediato, obedire teneantur. Sicque gradatim obedire tenentur. 1. Ministro, vel Superiori. 2. Rectori, Priori, Guardiano, vel Abbati, seu Praeposito. 3. Provinciali. 4. Generali, & denique

Supremo Ecclesiae Praelato, R. Pontifici. e. 2. D. 8. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. ex n. 6. & alii com. Moniales vi voti obedire tenentur Abbatissae, & Priorissae. Nam licet haec in Moniales non habeant jurisdictionem spiritualem, habent tamen potestatem domesticam, & dominativam in ipsas vi traditionis in professione facta cum voto obedientiae. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. n. fin. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 1. n. 17. & alii. Regulares exempti utriusque sexus non tenentur Episcopo obedire, siquidem ob exemptionem non est illorum Superior: non exempti tamen, licet ipsi obedire debeant tanquam proprio Episcopo, in ipsos jurisdictionem Ecclesiasticam habenti, non tamen ipsi vi voti tenentur obedire, nisi ipsi specialiter tales Religiosi vovent obedientiam. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 1. ex n. 11.

326 Debent ergo Superioribus Religionis subditi obedire, quando licita, & honesta praecipunt: imo, & quando praecipunt indifferenter, vel etiam ridicula, si ex bono fine, & ad subditos in obedientia exercendos praecipiantur: secus si turpiter, vanè, vel ridiculè praecipiant. Impossibilia tamen non cadunt sub votum. L. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6. nam talium nulla est obligatio: licet aliquando Sanctissimi Viri suis subditis, ut in simplicitate obedientiae probarentur, impossibilia praecipiebant, & ipsi ex instinctu Spiritus Sancti, & Dei speciali adjutorio executioni mandantur. Sic S. Maurus jussu S. Benedicti lacum est ingressus, & ex eo fratrem extraxit. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 4. quando subditus dubitat, an res praepcepta sit licita, vel an detur justa causa percipiendi, obedire tenetur, quia cum ipse habeat obligationem obediendi, & superior jus, & facultatem praecipendi, & in ejus possessione sit, in dubio non debet Superior tali jure spoliari. Sed cum actus agentium non operentur ultra agentium voluntatem. L. 19. ff. de Rebus credit. & obedientia religiosa oriatu a voluntate voventis, & ejus voluntas sit tantum obedire secundum Regulas, & Constitutiones Religionis, quam profiteretur; consequens est, quod Praelatus Regularis, imò nec S. Pontifex possit Religioso vi voti praecipere id, quod sit contra Regulam: nec supra, nec extra ipsam, saltem tacite comprehensum, quatenus, scilicet, conducatur, vel connexionem habeat cum ipsius regulae observatione. D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. ibi: Sic ergo potest

triplex obedientia distingu: una sufficiens ad salutem, qua scilicet obedir in his, ad qua obligatur: alia perfecta, qua obedir in omnibus licitis: alia indiscreta, qua etiam in illicitis obedir. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. n. 5. & alii com. potest tamen Pontifex, ut Pastor Universalis Ecclesiae, & ut Supremus Legislator plura ultra regulam praecipere, in quibus Religiosi obedire teneantur. e. 1. de Constit. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. n. 11. Religiosi ergo ex voto tenentur ad asperitates primariae regulae, qua continentur in tenore votorum: etiamsi cursu temporis aliquatenus consuetudine, vel non usu sint relaxatae: quia haec consuetudo nonquit prevalere contra votorum obligationem, qua est Juris Naturalis: secus est, si tales asperitates non continentur in votorum tenore. Similiter, qui professus est Religionem, cujus rigor mitigatus est negligentia Superiorum, si postea reformetur, & ad pristinam observantiam, qua sit juxta regulam, reducatu, ad ipsam talis professus tenetur, cum semper Praelati, habeant jus, & disciplinam regularem secundum regulam promovendi, ac proinde in subditis manet obligatio obtemperandi: secus est, si ille rigor fuit mitigatus auctoritate legitima Pontificis, vel ipsius Ordinis, cum tunc subditus solum se obligasset ad observantiam regulae, quatenus mitigata erat a primario rigore. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. ex n. 14. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 35. & alii, contra varios varie sentientes. Religiosis potest praecipri inservire aliis ejusdem Ordinis fratribus peste infectis, etiam cum vitae periculo ob publicum Religionis bonum, sicut potest Princeps subditis imperare militare, vel navigare cum tali periculo ob Republicae temporale bonum: imò & potest Religiosis praecipri, exteris, & secularibus infestis peste servire, Sacramenta ministrando in defectu, & supplemento Parochorum, ad quos ex munere primo hoc incumbit, dum tales Religiosi ex instituto proximorum salutis spirituali incumbant: secus si vitam Monachalem proficiantur. Nam hoc omnino esset extra eorum regulam, juxta quam tantum proprie salutem attendunt. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. ex n. 56. Si Praelatus actus merè internos praecipiat: v. gr. orationem, si hoc Religiosi voventur, tenentur obedire: ut contra Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. num. 6. Azor, & alios, tenent Suar. de Legib. lib. 4. cap. 12. n. 15. & seq. & alii sed

hoc vix in aliqua Religione erit consuetum. 327 Religiosi de Jure Communi, seclusis privilegiis specialibus, subjiciuntur Episcopo, à quo possunt corrigi, visitari, & puniri. c. 1. h. t. in defectum Prælati Regularis, ad quem prima correctio spectat c. 7. de Offic. Ordin. Monachi non possunt pro pretio in Monasterio admitti: nec Prioratus, vel alia officia pro pretio dari valent sub variis penis. c. 2. h. t. L. 22. tit. 7. p. 1. nec singuli in Parochiis, sed in Conventu majori, vel cum aliquibus fratribus esse debent. c. 2. h. t. L. 24. tit. 7. p. 1. si Canonici Regulares Parochiæ præficiantur socium ejusdem Ordinis debent habere, si commode fieri potest. c. 5. h. t. L. 25. tit. 7. p. 1. Hodie tamen nec Religiosi, nec Canonici Regulares sine Pontificis licentia valent Parochiis præfici ex Const. Greg. XIII. In pluribus tamen Indiarum Provinciis, & præcipue in his Insulis, Religiosi ob Clericorum inopiam sunt Indorum Parochi. L. 30. tit. 15. lib. 1. R. Ind. Deinde: in c. 6. h. t. agitur de vestibus Monachorum, de abdicatione proprietatis, de silentio continuo servando, maxime in Oratorio, Refectorio, & Dormitorio. L. 14. tit. 7. p. 1. etiam agitur de cibis, ubi esus carnis in refectorio prohibetur. L. 15. tit. 7. p. 1. item de officiis, & beneficiis. In Cl. 1. h. t. præscribitur Monachis modestia in victu, & vestitu servanda. Item confessio, & communio mensalis: etiam prohibentur aucupationes, & venationes clamorose, accessus ad Curiam Principum, & ne singuli in singulis administrationibus, vel Prioratibus Monachi habitare præsumant, de aliisque hujusmodi providetur. In c. 7. h. t. agitur de Capitulis Provincialibus quolibet triennio in Monasterio, æqualis ab omnibus distantia, celebrandis, in quibus de Observantia Regulari agatur: & Capitulo quatuor Abbates præssint. L. 17. tit. 7. p. 1. In c. fin. h. t. agitur de correctione, visitatione, & de modo eas faciendi. L. 18. & seqq. tit. 7. p. 1. In Cl. 2. h. t. per Trid. sess. 25. de Regul. cap. 9. confirmata: agitur de visitatione Monialium. 328 Ut ergo Moniales, quæcumque sint, etiam Ordinum Militarium, post emissionem trium votorum (secus est de Novitiis) à publicis, & mundanis conspectibus separata omnino, servire Deo studeant liberius, & lascivendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligentè custodire valeant, perpetuum clausuram in Monasteriis servare tenentur c. in h. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Suar.

de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. c. 8. ex n. 11. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 10. & alii. Clastrum igitur, extra quod ipse exire nequeunt, & quod extraxi ingredi non valent, intelligitur omnis ille locus, sive conclave sit, sive hortus, sive area, ubi Moniales sunt, & solent ingredi: possunt tamen ex causa legitima egredi: v. g. ob incendium, lepram, vel epidemiam, ex Const. S. Pii V. Decori, An. 1569. alias præterea causas assignant Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 9. n. 3. Sanch. in Desal. lib. 6. cap. 15. ex n. 60. Barbos. de Pot. Episc. alleg. 102. & alii. Si Moniales sint Ordini subjectæ, & exemptæ, ultra Prælati licentiam ad egrediendum ex clausura, indigent etiam licentia Episcopi: qui cæteris omnibus Monialibus non exemptis tamquam Ordinarius licentiam egrediendi concedit; & etiam exemptis immediatè Pontifici subjectis, sed tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 5. Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 9. & alii. Si necessitas manifesta urgeat, & periculum sit in mora, non est necessaria licentia Superioris ad exeundum à Monasterio: nam necessitas, quæ Lege caret, licentiam concedit. c. 4. de Regul. jur. Moniales clausuram violantes, & eis faventes, & eis contra dictam Constitutionem S. Pii V. concedentes licentiam, ipso jure, absque alia declaratione, incurrunt excommunicationem majorem, & privationem dignitatum, administrationum, & officiorum; & inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda. Hæc tamen poena requirit sententiam criminis declaratoriam, licet non declaratoriam poenæ. Sanch. in Decal. lib. 6. c. 5. n. 65. Etiam prohibetur sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ ingressus in Monasteria Monialium, non solum viris, sed etiam feminis. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 5. ibi: Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrendæ, Possunt tamen ingredi pueri, & puellæ ante usum rationis, secus puberes, etiam amentes: etiam possunt ibidem esse aliquæ famulæ sæculares, vel puellæ educandæ usque ad 25. an. de licentia Episcopi. Item possunt talia Mo-

nasteria ingredi, non solum foemina, si aliqua sufficienter apparens necessitas moralis detur: sed etiam viri, ex majori tamen necessitate: v. g. Medicus, Chirurgus, Faber, & alii hujusmodi. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 16. ex n. 40. Suar. Barbos. & alii. Licentiam autem ingrediendi ex justa causa possunt aliis dare, sibi que accipere Episcopus, & ejus Vicarius: & quidem Jure Ordinario, si Monasterium non est exemptum: quod si sit exemptum, & immediatè subjectum Papæ, dat licentiam Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Si sit Ordini subjectum sufficit licentia Prælati Regularis mediati, vel immediati juxta Ordinis Constitutiones: quæ licentia, specialis debet esse, & in scriptis dari. c. in h. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Sanch. in Decal. lib. 6. c. 16. ex n. 13. quamvis, ut diximus ad egressum Monialium, & licentia Prælati Regularis, & Episcopi necessaria sit. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 24. Antiquitus quidem, non solum ingressus, sed & accessus ad Monasteria Monialium extra casus necessarios erat prohibitus. c. 8. de Vita, & honest. Cleric. c. in h. t. in 6. & præcipue Religiosis: Hodie tamen hujusmodi Constitutiones usu sunt temperata. Præterea: sub poena excommunicationis in ipsas foeminas ingredientes, & in recipientes eas præterea alicujus privilegii, & non aliter prohibetur foeminis Monasteria virorum ingredi. Ingredi tamen possunt Regina, & earum filia, & foemina ipsas committantes, & fundatrices, si ita ferat consuetudo, vel constitutio. Et cum reliquo Populo possunt admitti intra septa Monasterii foemina ad Divina Officia, & ad funus: dum tamen in officinis interioribus non admittantur. Sanch. in Decal. lib. 6. c. 17. ex n. 5. nec possunt ingredi hortos vicini Monasterio, in quibus Religiosi intra claustrum esse censentur, possunt tamen ingredi Sacristiam, in quam datur ingressus à Templo, ut contra Sanch. & Barbos. tenent Laer. lib. 4. n. 89. & alii. Etiam ingredi valent Grangias Religiosorum, Hispanè Granjas, à Casas de Campo. In Indiis Estancias appellamus. Machad. in Sum. lib. 5. p. 2. tr. 3. doc. 7. Villalob. Bonacin. & alii: non tamen possunt ingredi Residentias Societatis, si hæc sint perpetua, & in eis vivatur ut in Collegiis, ut in Residentiis harum Insularum accidit. Secus est, si tantum sint ædes Missionariorum, & velut privata. Exterius Collegiatium: Hispanè Portal, in quo est prima porta, quæ toto die secularibus patet, non censetur intra clausuram: hæc enim incipit ab ea porta, in qua est sedes

Janitoris ad clausuram servandam. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 17. Laer. lib. 4. n. 90. & alii. Nomine in hæc prohibitionem veniunt solæ habentes usum rationis, & etiam fatuæ puberes, quæ ad peccatum possent cooperari. Sed quia aliqui obreperant abusus in hoc puncto, à Benedicto XIV. prohibentur omnino similes abusus, mandatque, quod Moniales exactè servent clausuram: quod foemina non ingredientur Religiosorum Monasteria nec viri Monasteria Monialium sub gravibus penis. Sic habetur in duobus Const. De hac re editis. An. 1742. & sunt 39. & 40. quæ inveniuntur in tom. 1. Bullar. Benedict. XIV. Præterea in Monasteriis non sunt recipienda plures Moniales, quam quæ commode possunt sustentari. c. in h. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3. quod etiam ad Monasteria virorum extenditur: nec item hæc possunt fundari, quin alii Mendicantes in illo Oppido, vel Civitate existentes & alii quorum interest, citentur ex Const. Clem. VIII. 23. Jul. An. 1603. Si Moniales dotem pro congrua sustentatione afferant, utique possunt admitti. Sanch. in Decal. lib. 7. c. 23. ex n. 4. Denique, olim multiplex velum Monialibus ad benedictionem, & consecrationem dari solebat, ut habet Gloss. in c. 11. 20. q. 1. Et quidem velum consecrationis solum ab Episcopo confertur. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 27. n. 57. velum Prælationis, olim sexaginta annis completis, hodie 40. vel saltem 30. datur. Trid. sess. 25. de Regul. c. 7. Ex lucusque dictis patet, qualiter Religiosus votis Religionis, ejusque Regulis ligatus inveniat, in quo statu, si fidelis perseveret, accipiet coronam vitæ: si vero retro respiciat, non erit aptus Regno Cælorum: & quamvis venire ad Eremum (testè Casiano) summa perfectio sit, non perfectè in Eremito vivere, summa damnatio est. Verus siquidem Religiosus, sic depingitur ab Eusebio; debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita superbus ad vitia. Fateor equidem cum D. Bernard. quod vita religiosa est quoddam martyrium, illo quidem, quo membra caduntur ferro, horrore mitius, sed diuturnitate molestius. Sed nostros animos spes præmiū erigere debet. Sic olim Aeneas suos socios ad prestandos labores animabat: Per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt: illi fas Regna resurgere Tomyte, Durate, & vos motu rebus servare secundis.

TIT. XXXVI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

329 **D**omus religiosa in genere comprehendit omnem locum deputatum ad divinum cultum, & opera pietatis, & misericordie exercenda, sive consecratione Episcopi sit dedicatus ad Missarum solemniam, & officia divina celebranda, ut sunt Ecclesie, Basilicæ, vel Tempa: sive absque consecratione Episcopi ad prædicta munera deservat, ut sunt Monasteria, Xenodochia, Oratoria, Capellæ domesticæ, Hospitalia, Confraternitates, & Congregationes. *L. 1. tit. 12. p. 1.* Et quidem Episcopus habet in iure fundatam intentionem super omnium harum domorum in sua Diocesi sitarum subjectionem: Illius spirituali jurisdictioni (secus quoad temporalia) nisi forte tales domus probentur exemptæ. *c. 10. 16. q. 7. c. 17. 18. q. 2. c. 7. b. t. l. 2. tit. 12. p. 1.* Etiam si locus Religiosus sit Monasterio exempto incorporatus, nisi etiam talis locus probetur exemptus. *c. 6. b. t.* Et licet aliqui idem credant de quacumque Parochia respectu Ecclesiarum, quæ intra suos limites sunt sitæ: tamen dicendum est, tales Parochos non habere in iure fundatam intentionem super jurisdictione talium Ecclesiarum, vel Capellarum, sed tantum obtinebunt, quantum probent, & non amplius, ut deducitur ex *c. 2. de Capell. Menoch. c. fin. de Offic. Archid. Barbo. in c. 2. de Capell. Monach. n. 1.* Omnia igitur loca autoritate Episcopali, vel alia Ecclesiastica erecta (secus, quæ absque tali autoritate sunt erecta, etiam si oratorium habeant, dummodo Missa non celebretur *arg. c. 4. b. t. & ibid. Barbo. num. 3.*) subsunt Episcopi jurisdictioni, qui proinde ea visitare potest, quantumvis exempta sint: sed tunc tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedit: & etiam si per laicos administrantur. Non tamen potest prohibere jus visitandi Judicibus Laicis ibidem adquisitum. Non tamen potest visitare. 1. Loca pia, & Hospitalia, quæ sunt sub immediata Regum protectione, sine horum licentia. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8.* Nostri tamen Catholici Reges concesserunt jam generaliter suam licentiam, ut Hospitalia, quæ sunt in Hispania, & Indiis sub Regia protectione, etiam si ex Regio Arario fun-

data sint, visitentur simul à Judice Ecclesiastico, seu Episcopo, vel ejus Vicario, & à Judice destinato à Rege. *L. 4. tit. 6. lib. 1. R. C. l. 5. §. 21. tit. 4. lib. 1. R. Indiar. & alibi sæpè Soloz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 3.* 2. Nec possunt Episcopi visitare illa pia loca, in quorum fundatione expressè cautum est, ut non subsint Episcopo. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 9.* 3. Nec Hospitalia Ordinum Militarium & aliarum Regularium *Cl. 2. b. t.* Præterea Episcopi possunt exigere rationem ab Administratibus Hospitalium, & aliorum piorum locorum, etiam si erecta sint absque Ecclesiastica licentia, & etiam si alii ad id deputati ex consuetudine, privilegio, vel constitutione ratio reddenda sit. *Cl. 2. b. t.* solumque excusari possunt à tali ratione Episcopo reddenda, si ita expressè, in fundatione cautum sit. *Trid. sess. 22. de Reform. cap. 9. Barbo. de Pot. Episc. alleg. 75. n. 57. Grotier. Canon. qq. lib. 1. cap. 35. ex num. 19.* Si una Ecclesia, vel Monasterium uniatum ex iuxta causa, & dispensativè attempto *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 9.* Ecclesie, vel Monasterio alterius Diocesis, manet adhuc sub jurisdictione Episcopi, in cuius Diocesi Ecclesia unita sita est; *arg. c. 10. 16. q. 7. c. 2. b. t. l. 4. tit. 12. p. 1.* ibi: *Es fueren de dos Obis pados, cada uno de ellas debe obedecer à su Obispado, & facerle aque-llos derechos, que le facian ante que fuesen ajuntadas.* Si dubiter in cuius Diocesi sit locus, in quo est edificata Ecclesia, pertinet jurisdictione ad Episcopum, qui unum, vel alterum actum jurisdictionis Episcopalis in quacumque linea exercuit: nam hoc tunc sufficit ad totam jurisdictionem possidendam, cum nullus alius sit in possessione alterius, juris ut accidebat in *c. 18. de Prescript. Barbo. in c. 1. b. t. n. 6.* qui testatur sæpè à Roa decisum. 330 *Innoc. X. in Const. Instaurande. Ann. 1652.* statuit, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium: Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare presumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali: ac proinde nihil obstant anteriores Constitutiones. *c. 12. 18. q. 2. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.* requirentes solam Ordinarii auctoritatem: imò dicendum est, quod ultra Episcopi licentiam, insuper licentia Pontificis requiritur. *Barbo. de Potest. Episc. alleg. 26. n. 4. Gonz. in c. fin. b. t. n. fin.* Præter Ordinarii, & Pontificis licentiam ad nova Monasteria Mendicantium, vel non Mendicantium ubique erigenda, est necessarium, quod saltem duodecim Religiosi ibidem pos-

pos-

possint degere, & quod ceterum alii Conventus, si qui ibi sunt, & quod ipsi consensum capitulariter præbeant. Similiter accedere debet consensus Principis illius territorii: Item Paroqui, & incolarum. *Clément. VIII. in Const. Quoniam; 23. Jul. ann. 1603. Greg. XV. in Const. Cum alias; 17. Aug. ann. 1622.* Etiam si Monasterium de novo erigendum cautionem præter de non petenda elemosyna: quippe non tantum in hoc stat præjudicium, sed etiam in concurso, & oblationibus. In erectione Monasterii Monialium, quæ non querunt ex elemosynis victum, non est necesse prædictos citari, cum eis nullum præjudicium sequatur. *Barbo. de Jure Eccles. lib. 1. capit. 41. n. 17. Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 7. n. 116.* In Provinciis Indiarum nulla Ecclesia Cathedralis, nec Paroquialis, nec Monasterium, nec alius plus locus potest erigi, quin Regis nostri præcedat expressa licentia, vel illius, qui patronatum Regium exercet, & habeat hanc facultatem: ita, ut si absque licentia debita aliqua Ecclesia erigatur, demoliri debeat. *L. 1. tit. 2. l. 1. tit. 3. l. 2. tit. 6. lib. 1. Rec. Ind. Gonz. in cap. fin. b. t. num. fin. Soloz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 23.* ubi dicit, quod in Indiis Religiones sola cum Regis licentia, etiam sine licentia Episcopi nova edificantur Monasteria, & quod sic in praxi servatur, non obstantibus variis Constitutionibus Pontificiis in contrarium: Sed in hoc debent attendi unitis cujusque Ordinis privilegia. Sed cum prædictæ Constitutiones loquantur de Monasterii erectione, dicendum est, eas non habere locum, quando Monasterium ampliat, vel alio transferatur, vel postquam destructum est, reedificatur, etiam si ex his aliis præjudicium sequatur. *Gonz. in cap. fin. b. t. num. fin.*

331 *Omnis res* (ait *Text. in cap. 1. de Regul. jur. per quascumque causas nascitur, per eadem dissolvitur.* Hinc Hospitalia, vel loca, quæ accedente autoritate Ecclesiastica Religiosa facta sunt, nequeunt ad usus profanos converti sine Ecclesiastica auctoritate, *cap. 4. b. t. Quod enim semel Deo dicatum est, non est ad humanos usus convertendum, cap. 51. de Reg. jur. in 6. L. 3. tit. 12. p. 1.* imò, neque ad alium usum, etiam prius præter destinatum. *Cl. 2. b. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 8.* Si verò sine auctoritate Ecclesiastica aliquis locus ad usum prius est destinatus; v. g. ad Oratorium, potest privata autoritate ad usum profanum converti; v. g. in cameram; *arg. capit. 4. b. t.* Si tamen fundator alicujus operis jam decessit, illius hæres nequit ejus

Tom. I.

voluntatem mutare, sed eam tenetur adimplere. Præterea in *cap. fin. b. t. & in cap. un. eod. in 6.* prohibet Pontifex, ne ulla Religio sine Sedis Apostolicæ approbatione instituat, ut sic tollatur confusio, quam nimia diversitas Religionum parit, & tollatur erroribus inducendis occasio ac proinde professio in Religione sine Pontificis licentia constituta, erit nulla, ac per consequens nullius momenti erunt pacta circa illam inita, & vota obedientiæ, & castitatis, si tantum dependent à tali Congregatione sint facta. Suadendi tamen sunt votum castitatis hoc modo emittentes, castitatem servare; quod si nolint, valent matrimonium contrahere. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 16. num. 24.* Deinde Ecclesia Regularis solum Pontificia autoritate potest in Sæcularem Clericorum converti, nisi forte non inveniatur Religiosus, etiam alterius Ordinis, per quos restauretur disciplina regularis collapsa: tunc enim auctoritate Episcopi hæc mutatio fieri valet, *capit. 5. b. t. & ibid. Gloss. & Barbo.* Sub prohibitione novarum Religionum, etiam comprehenduntur Congregationes virorum, vel mulierum, etiam si tria vota substantialia Religionis non emittant, si tamen sub certa regula, ritu, & habitu in communi vivant; cum eadem sit ratio, & idem periculum ex eis possit oriri. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 16. n. 22.* Non tamen comprehenditur vita solitaria, & non in communi degentium: quin potius possunt foeminae non suspectæ simul habitare in suis, vel conductis aedibus, obediendo Ordinarii, & Parochis, & ibi Deo servire, & agere poenitentiam. *Cl. 1. in fin. b. t. Exir. un. int. com. b. t.* In nostra Hispania severe prohibetur, ne fiant Congregationes, vel Confraternitates, quocumque prætextu, pio, & sancto, sine Regis, & Prælati Ecclesiastici licentia. *L. 3. tit. 14. lib. 8. Rec. Cast.*

TIT. XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

332 **C**apella aliquando significat aliquid quod altare in Ecclesia extructum, præcipue aliquo cancello ligneo, vel ferreo clausum. Aliquando Oratorium, seu sacram adieculam ab Ecclesia separatam. Sed in præsentibus Parochialem, seu Ecclesiam, quæ non sit Collegiata signifi-

Hhhh

fi-

ficat. Quocumque tamen modo sumatur, si in ea Missa est celebranda, cum ex hoc locus sacer, & Religiosus fiat, non aliter, quam Episcopi auctoritate erigi debet, *capit. 25. de Cons. D. 1.* Olim quidem in Ecclesiis unitis Monasteriis, sicut in ipsis Monasteriis, & Capellani, seu Sacerdotes Sæculares præfiebantur, *cap. 1. h. t. L. 24. tit. 7. p. 1.* Siquidem Monachi regulariter erant Laici Tripliciter ergo potest Ecclesia Parochialis Monasterio uniri: 1. *plenissimo jure*, ita ut Monasterium exerceat jurisdictionem, quasi Episcopalem in populum ejus Parochiæ, & tunc Regularis, vel Sæcularis Parochus juxta loci consuetudinem præfici potest; quin Episcopus possit in administrationem se immiscere, cum Superior Monasterii sit loco Episcopi. *L. 26. tit. 7. p. 1. Rodrig. tit. 1. qq. Regul. q. 36. art. 4. 2. potest pleno jure uniri quoad temporalia, scilicet, & spiritualia*, ita ut Monasterium exerceat curam animarum, & tunc si Vicarius perpetuus ibi ponatur; à Monasterio est præsentandus; sed institutio, visitatio, correctio, destitutio, seu depositio ad Episcopum spectant. Si Vicarius Sæcularis temporalis ad nutum à mortuis ponatur, institutio, & destitutio, ut quæ nullum titulum dicunt, fiunt à Prælato Regulari: tota alia jurisdictio in spiritualibus in Clericum pertinet ad Episcopum. Si Vicarius Regularis ponatur, visitatio, & correctio ad Episcopum, & Abbatem cumulativè spectant, in his quidem, quæ ad officium Parochi pertinent, etiamsi aliunde Monasterium exemptum sit, *cap. 16. de Privileg. ibi: Quo circa mandamus, quatenus in quantum exempti sunt (Capellani Ducis Burgundie) ejusdem ratione Capella Apostolicis privilegiis deferat reverentiam; sed in quantum ratione Parochialium Ecclesiarum, vel alias jurisdictionem tuam recipere dignoscuntur, officii tui debitum in eosdem libere prosequaris. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 11. Greg. XV. in Const. Immutabilis, an. 1622. Barb. in cap. 1. h. t. num. 5. L. 28. tit. 15. lib. 1. R. Ind. 3.* potest uniri quoad temporalia tantum, quatenus Monasterium reditus talis Ecclesiæ percipiat; & cum nullam tunc jurisdictionem spirituales habeat Monasterium, Clericus Sæcularis, ad Monasterii præsentationem, Ecclesiæ unitæ præficitur: ita ut Episcopus habeat omnimodam jurisdictionem. *L. 26. tit. 7. p. 1. Gonz. in cap. 1. h. t. n. 4. Denique, licet in cap. 2. de Statu Monach. in capit. 3. & fin. h. t. sit statutum, quod Monacho, qui Ecclesiæ Parochialis, extra Monasterium præficitur, aliqui Socii Regula-*

res adjungantur. *L. 24. tit. 7. p. 1. ibi: Haec de, est, con vitos Prælati; tamen ex Const. Greg. XIII. sufficit, si unus adjungatur. Garc. de Benef. p. 11. cap. 2. n. 13.* sed hoc vix usu unquam videtur receptum. Sed tunc tantum solet Socius assignari, saltem in Indiis, quando est sufficiens Religiosorum copia (quod vix unquam accidit) & commode fieri potest, ut de Canonici Regularibus disponitur in *cap. 5. de Statu Monachor.*

TIT. XXXVIII.

De Jure Patronatus.

JUS patronatus aliquando pro Advocacia; ut in *L. 14. §. 1. C. de Judic.* aliquando pro Libertorum patronatus; ut in *cap. 61. 12. q. 2.* sumitur: sed in præsentis est jus, sive potestas præsentandi Clericum instituendum, ad Ecclesiam, vel beneficium. Patronus ergo dicitur, quasi pater oneris, quia onera Ecclesiæ sustinere debet in consequentiam honoris. *L. 1. tit. 15. p. 1.* In primis quidem Ecclesiæ Sæcularis non agnoscebatur jus patronatus, *cap. 3. cap. 6. 10. 16. q. 7.* sed postea gratia, & privilegio Apostolico hoc jus coepit etiam Laicis concedi, ut ad Ecclesiæ, & beneficia fundanda allicerentur, *cap. 32. 16. q. 7. cap. 25. h. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9. L. fin. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Gratia.* Et quidem ex tribus capitibus oritur patronatus, ex fundatione, scilicet, constructione, vel dotatione Ecclesiæ, vel beneficii, *cap. 31. cap. 32. 16. q. 7. cap. 25. h. t. juxta illud Gloss. in cap. 26. 16. q. 7. Patronum faciunt, dos, edificatio, fundus:* quæ insuper debent fieri animo patronatum adquirendi: non tantum animo donandani, nam tunc potius dicitur benefactor, quam Patronus. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 60.* Non tamen est necessaria expressa reservatio juris patronatus; sat enim erit; quod actu contrario non remittatur. *Garc. n. 62.* prædicta clarè habentur in *L. 1. tit. 15. p. 1. ibi: Patronado es derecho, ó poder, que ganen en la Iglesia, por bienes que hacen los que son Patronos della: é este derecho gana home por tres cosas: la una por el suelo que da á la Iglesia, en que la hacen: la segunda, por que la hacen: la tercera, por heredamiento que la dan, á que dicen dote. Greg. Lop. ibid. fundare enim dicitur, qui fundum, vel solum, in quo Ecclesia construatur, dat. Construere dicitur, qui dat sumptus*

ad Ecclesiam ædificandam; vel restituendam collapsam, si Ecclesia fortè totaliter injuria temporum, vel aliter destruat. Dotare dicitur, qui sufficientes reditus tribuit ad usus Ecclesiæ necessarios, & ejus Ministrorum sustentationem congruam. *L. 1. tit. 15. p. 1. ibi: La tercera por heredamiento, á que dicen dote, onde vívan los Clerigos que la sirven, é que puedan cumplir las otras cosas. Et ibid. Greg. Lop. Si quis non sufficientes ad prædicta reditus tribuat, potius benefactor, quam patronus dicitur. Jam tamen patronatus construendis, vel dotantis extinguitur destructa Ecclesia, vel ejus amissa dote, ac proinde non reviviscit, si alias construat, vel dotet; *arg. L. 98. §. 8. ff. de Solution.* sed ædificanti de novo, etiam ex antiqua materia, vel de novo dotanti totum jus patronatus adquiritur. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 51.* Si tamen Ecclesia non esset omnino diruta, sed per partes reædificata sit, etiamsi tota sit de novo facta, cum censeatur esse eadem Ecclesia moraliter cum antiqua, antiquus extractor patronus manet; *arg. L. 10. §. 1. ff. Quibus mod. usufr. amit.* nec ad jus patronatus acquirendum est necessarium, quod ab eodem copulative fundetur, construatur, & dotetur Ecclesiæ: sed sufficit quilibet ex his titulis disjunctivè. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* & sic est intelligenda copulativa. *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 12. L. 12. tit. 15. p. 1.* Undè possunt respectu ejusdem Ecclesiæ plures concurrere patroni, si alius scilicet, fundet, alius construat, alius dotet. Tamen talis fundatio, constructio, vel dotatio debet approbari ab Ordinario. *c. 25. h. t. vide licet ab Episcopo, vel ejus Vicario, si specialem commissionem habeat: vel à Capitulo, Sedevacante, vel ejus Vicario, etiam sine speciali commissione: vel ab alio jurisdictionem quasi Episcopalem habente: sufficit tamen consensus à prædictis, etiam ex post facto præstari. Barb. de Offic. Episcop. alleg. 70.* Si Ordinarius requisitus sine justa causa (secus si justam habeat causam) recuset consensum præstare ad constructionem, vel dotationem, potest compelli à Papa; *arg. c. 17. h. t. Si Titius: v. gr. in fundo Sempronii eo invito, vel inscio Ecclesiam extruat, patronatus adquiritur Titio extractori, non verò Sempronio Domino fundi, nisi hic ratam habeat ædificationem, & tunc ambo sunt patroni: potest tamen Dominus fundi, etiam propria auctoritate occupare, vel destruere talem Ecclesiam; *arg. c. 1. & 2. de Novi oper. nuntiari. L. 29. §. 1.***

*ff. ad Leg. Aquil. dummodò talis Ecclesia non sit consecrata. Si enim jam est consecrata destrui nequit, sed Domino fundi est præstanda fundi æstimatio, si fundum nolit donare; *arg. c. 2. 14. q. 6.**

334 Jus patronatus, nec est absolute spirituale, nec merè temporale: sed esse spiritualibus annexum expressè dicitur in *c. 3. de Judic. c. 16. h. t. L. fin. tit. 15. p. 1. ibi: Llaman el derecho del Patronado como espiritual, é ayuntado á espiritual. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4.* Et ratio est quia ordinatur ad institutionem Canonicam, quæ tribuit jus spirituale, & quam præcedit presentatio vi patronatus facta. Sicut Calices, & Patenæ, quatenus ad Sacrificium Missæ ordinantur, spiritualibus accensentur. *c. 42. c. 44. de Consecr. D. 1. L. 43. ff. de Rei vindicat.* Hinc quidquid Patronus Laicus habet in presentatione ad beneficia totum ex gratia, & privilegio Ecclesiæ oritur. *L. fin. tit. 15. p. 1.* Jus quidem patronatus multipliciter distinguitur. Aliud enim est hereditarium, quod scilicet, ad quoscumque hæredes, etiam extraneos transit, & cum frequentius ita instituat jus patronatus, in dubio hereditarium præsumitur; *arg. c. 18. de Consib.* Aliud est familiare, seu Gentilitium, quod scilicet, transit tantum ad eos, qui de aliqua familia sunt. Aliud potest dici mixtum, quod scilicet, tantum transit ad cognatos fundatoris, si simul hæredes sint. Præterea aliud est personale, quod scilicet, patrono independentem ab aliqua re competit. Aliud reale, quod quidem competit ratione rei, cui adhaeret: v. g. ratione Castri, Villæ, vel prædii. Celebrissima tamen divisio juris patronatus est in Ecclesiasticum, Laicum, & mixtum. Ecclesiasticum siquidem est, quod personæ, vel Collegio Ecclesiastico competit ratione Ecclesiæ, Dignitatis, vel beneficii Ecclesiastici. Tale est quod Episcopo, vel Abbati competit ratione domini temporalis pertinentis ad Ecclesiam: item, quod competit Religiosis, etiam Laicis, vel etiam Rectoribus Hospitalium, etiamsi absque autoritate Ecclesiastica erecta sint. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. ex n. 600.* vel etiam Congregationibus Laicorum, si alicui Ecclesiæ sint annexæ: vel Collegiis Laicorum, si ratione alicujus Ecclesiæ, vel loci pii, ipsis competat: vel etiam Magistris S. Joannis ratione suarum commendarum: imò; & quod competit Equitibus, etiam Conjugatis S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. *Garc. de Benef. p. 9. cap. 2. n. 263. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 81.*